



Epistola

PHILIPPI
BEROALDI HASSI
AD D. HVNNIVM
de Theſibus ipſius.



ANNO

c I o . I o . x c i i .




Epistola

P H I L I P P I

B E R N O L D I H A S S I

A D D O M I N I V M

de Theologia



cl. l. c. l. c.



EPISTOLA

PHILIPPI BEROALDI HASSI
AD D. HVNNIVM DE THE-
SIBVS IPSIVS.

LEgi tuas theses, Hunni, Witebergæ ad disputationem de vnione hypostatica duarum naturarum in Christo propositas: legi inquam & pellegi: Sed nonnulla in iis occurrerunt, quæ minus dilucidè mihi quidem, homini habeti & parum acuto, exposita esse visa sunt, de quibus erudiri mei similes operæ, nisi fallor, precium fuerit: id quod à tua humanitate facilè, vt spero, impetrari poterit, parata ad inseruiendum omnibus præsertim nostræ gentis hominibus. Ante autem quam ad dubitationes veniam, lubet narrare quid mihi acciderit. Ea ipsa hora, qua theses accepi, venit ad me studiosus quidam familiariter mihi notus, is conspicatus fasciculum litterarum, quibus Theses adiunctæ erant, quæsiuit, nunquid ex Saxonia noui: (nam Witeberga Tabellarium venisse percontando didicerat) Ego subridens, Saxonia inquam non Africa est: immò est inquit ille. Quantum enim inde nouarum rerum per vnum hunc annum & allatum ad nos & perscriptum est? Sed absolue me statim, est enim domi quod agam. Ego fasciculo resignato theses repertas illi pelligendas dedi. Percurrit, reddidit, leuiterq; dentes

restringens subiunxit, χ ὁ πῶν Θ μέγας χ ὁ τεχνίτης. inscriptionem tamen velim esse mutatam & pro verbis, *De unione Hypostatica &c.* substituta fuisse hæc de Ubiquitate, vel (vt autor inuidiam vocolæ veritus loquitur) de illocalitate corporis: quam sibi ab hoc Doctore restitutam esse mirificè vt audio, lætantur Witebergenses & Lipsenses. Sed miseret me illorum, qui nesciunt hoc ipsum sibi ab Hunnio eripi, cuius causa tantum festiuitatis & gaudij excitat, quantum animus hominis capere potest. Mira narras inquam: Sed vera, inquit ille. Si enim illocalitas corpori tribuitur, perspicuum credo omnibus non tantum illud è pane tanquam ex ouo vitellum, vt quondam grandis superintendens loquebatur subtrahi, (quod vnicum vtique est solatium miseris in Saxonia peccatoribus) sed etiam ex illo ipso loco, in quo Cæna celebratur, nisi fortè physicus, qui D. Kramero successurus est, demonstrauerit Lipsiæ locum non esse, in quo Cæna administratur. Hæc locutus discessit: Ego theses in manus sumsi, legi, ac vt supra dixi, pellegi, nonnullaque consignauì, quæ acurritatis aliquid habere viderentur.

In tertia thesi humanitatem dicis personæ verbi vnionis plenè capacem: id ego, vt verum dicam non assequor. Quo pacto enim natura finita, id est, corpus solidum ac verum (vt tuis verbis vtar in thesi 6. positis) naturam infinitam, id est, Deitatem plenè capere possit, mihi nondum liquet. Sensum igitur tuum accuratius & planius explicabis, ne fortasse rudiores putent deitatem carne Christi, quasi vasculo aliquo plenè capi, id quod Eustath. Antioch. vt est apud Theodor. Dialog. 3. vehementer improbat his verbis. Το σῶμα μετέσ-
σιον ἐσσωρῆτο, τὸ ἴθιον τὸ σοφίας πνεῦμα, χ τὸ σαρκῶς Θ εἶσα
διητῶ

9
διητάτο, καὶ τοῖς ἑρανοῖς ἐπεβάτευε, καὶ πᾶσαν περιέχετο τὴν γλῶσσαν καὶ τῶν
ἀβύσσων ἐκρεῖται, καὶ τὰς ἐκάστων ψυχῶν ἀνιχνεύων διεκρίνε, καὶ
πάντα ὁμῶς σωήθως, οἷα θεός, ἐπρατήεν. Οὐ γὰρ εἶσω τῶν σωματι-
κῶν ἔγκων ἡ ἀνωτάτω σοφία καθειργμένη περιέχεται, καθάπερ
αἱ τῶν ὑγρῶν καὶ ξηρῶν ὑλαὶ τῶν μὲν ἀρσείων, εἶσω κατακλείονται,
περιέχονται ἢ μάλλον ἢ περιέχουσι τὰς θήκας. ἀλλὰ θεία τις οὐσα
καὶ ἀνεκφραστοῦ δύναμις τὰτ' ἐνδοτάτω καὶ ἐξωτάτω τῶν νεῶ περι-
λαμβάνουσα, κραταιοῖ, κἀντεδθεν ἐπέκεινα διήκουσα πάντας ὁμῶς
τῶν ὀγκῶν περιέχουσα, id est, Corpus sublimē cruci affige-
batur: diuinus autem Sapientiae Spiritus & intra cor-
pus degebat, & in caelestibus versabatur, & abyssos oc-
cupabat, singulorumque animos scrutans diiudicabat,
& omnia simul more solito, vt Deus, agebat. Non enim
intra corporum moles suprema sapientia coercita con-
tinetur, sicut liquida & sicca vasis includuntur, iisque po-
tius continentur, quam receptacula continent. Sed di-
uina quaedam & ineffabilis illa potentia intima & exti-
ma sui templi complectitur & firmat, atque inde vltē-
rius penetrans omnes simul moles continet.

In sexta thesi placet illud, quod in gloria verū etiam
manere corpus Christi asseris: hoc tamen miror, quod
additur, conforme idem manere beatorum glorifica-
tis corporibus substantiae & quantitatis ratione: Pri-
mū enim Apostolus disertē dicit Christum confor-
me redditurum corpus nostrum humile corpori suo
glorioso: quae verba Apostoli maiestate Christi di-
gniora, quam tua, qui seruos Domino honoratiores fa-
cis: deinde, nisi fallor, imprudens securiculam tuam cau-
sae impingis: neque enim nostra corpora etiam glorifi-
cata vbiq; erunt aut illocalia, quale tu vis esse corpus
Christi glorificatum. Locum Apostoli aliter explicat
Theodor. Dialogo secundo vbi verbis Apostoli com-

memoratis addit. Non igitur inquit corpus Christi in aliam naturam mutatum est sed corpus mansit, diuina tamen gloria plenum, & radios lucis emittens: illi corpori conformia existent sanctorum corpora. Iam si illud in aliam naturam mutatum esset, etiam horum corpora similiter mutarentur. Nam vt dictum, illi conformia existent. Si verò sanctorum corpora suæ naturæ *χαρακτῆρα*, id est, formā & lineamenta retinent, etiam Domini corpus suam essentiam similiter sine vlla mutatione retinebit.

In 9. thes. dicis personam post incarnationem *συνή-
των* esse, atque ita locutos esse Scriptores Ecclesiasticos: sed compositionis modus explanandus erat, ne simile à te paulo post adductum rudiores in errorem inducat. Nam longissimo interuallo distant animæ corporisque coniunctio & vnio duarum naturarum. Animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ sunt essentiæ, sed vnus essentiæ partes: diuina vero & humana natura in Christo essentiæ sunt sic integræ atq; perfectæ vt nulla ratione vnā tertiam essentiam absoluere possint. Ceterum explanari res potest ex Iustino Martyre. *ἐν ἐκθέσει πίστεως* ita scribente. Homo etsi constat ex anima & corpore, non tamen idem est cum eis, sed diuersum: vt iam homo ex coniunctione animæ & corporis aliud sit absolutum tertium: Atque hoc liquet ex eorum seiunctione. Nam corpus *μένει τὸν οὐκ εἶον
σῶζον λόγον*, cum etiam mortuum tres dimensiones retineat. Similiter anima etiam separata rationis particeps manet. Ceterum homo perit, qui constabat ex coniunctione vtriusque. At Christus non ex Deitate & humanitate Christus factus est, cum non sit diuersus ab his duabus, sed vtrunque & homo & Deus. Hæc Iustinus

stinus qui paulò antè ^ἡδείγμα illud de animæ & corporis coniunctione ad declarandam vnionem ^ἡπισσι-
 πικλὸν ἀρμόδιον εἶναι λέγει, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατὰ τι γέν, ὡς γὰρ
 εἰς μὲν ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος ἔχει ἡ φύσεις ἐν ἑαυτῷ Διαφόρας δύο, καὶ
 κατ' ἄλλο μὲν λογίζεται, κατ' ἄλλο ἡ τὸ λογισθὲν ἐνεργεῖ, ἕτως
 ὡς εἰς ὧν καὶ δύο φύσεις, κατ' ἄλλο μὲν τὰς θεοσημείας ἐργάζεται
 κατ' ἄλλο ἡ τὰ ταπεινὰ ἐργάζεται &c.

In 15. velim te apertius locutum, vt virum bonum de-
 cet: cuius laus inter alias etiam hæc est, quod sit ἐυθυρή-
 μων: Dicis vnum esse Christum non conuersione Dei-
 tatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.
 Iuratus propemodum affirmarim te maluisse scribere,
 sed conuersione carnis in Deum. Cur ita suspicer, alio
 tempore ostendam. Optarim itaq; explicatiunculam
 additam, ita scilicet humanitatē vel carnem assumptam
 in Deum, vt caro sit pars personæ illius, quæ Deus est,
 non autem Deitatem æquet proprietatibus: id quod
 haud scio an deinceps dicturus sis, præsertim vbi ad
 communicationem Idiomatum peruentum fuerit.

In 19. notas similia, quibus nonnulli demonstrare
 voluerunt non necesse esse, vt id, quod in Deo est,
 quemadmodum Augustinus loquitur, sic sit vbiq; vt
 Deus. Neque enim, vt ipsis videtur, vnio naturarum
 exæquatione constat. Conuenientior est tuo iudicio
 similitudo animæ & corporis quam gemmæ & annuli
 in quo tamen discedis ab opinione tui præceptoris,
 qui in Colloquio Maulbrunnensi similitudo inquit de
 anima & corpore sumpta mysterium hoc declarare ne-
 quit, quia loquitur de re naturali &c. Sed sit illa con-
 uenientior, ad demonstrandum vnum ὑφιστάμενον ex
 duabus naturis constans: vt supra ex Iustino ostensum:
 verum quod tu addis thes. 21. sic totum incarnatum

λόγον

λόγον extra suam carnem nec esse, nec quaeri aut inueniri posse, sicut anima substantia sua non sit extra corpus, tota quippe suo corpori vnita: id verò indiget luculentiore explicatione. Nam quæ ponitur in thesi 25. eam non assequor pro ingenij mei imbecillitate. Si diuinitas ita est in carne, vt anima in corpore: quid sequatur, vel pueri vident. Scio non quaerendum λόγον vsquam non vnitum carni: Sed λόγον extra carnem nusquam existere, quis mihi persuaserit? vbicunque caro ibi λόγος, sed non vbicunq; λόγος ibi caro existit. Non enim continetur λόγος, vt paulo ante ex Eustathio probauimus, intra angustias corporis, sed simul & intra corpus & extra omnia est. Simile igitur illud vel rejiciendum eo sensu, quo tu vis, vel admittendum eo modo, quo veteres vsurparunt. Nam quod tu dicis thes. 25. ex vestra doctrina non sequi eiusmodi aliquam inclusionem τῷ λόγῳ in assumptam naturam, quæ personam verbi ab infinitate sua deiectam finitam efficiat: id mihi, ne quid dissimulem, Sibyllæ folia sunt. A te supra thesi 6. didici Christum non phantasma corporis, sed corpus solidum ac verū assumpsisse, quod carne constaret & ossibus: extra hoc corpus (quod finitum & circumscriptum esse etiam te tacente partes ipsæ indicant modò nominatæ) si λόγος nec est nec quaeri aut inueniri potest, vt tu ais: Simplicior aliquis, qualem me esse fateor, non immeritò inde colligat, personam verbi finitam esse: præsertim cum thes. 22. non obscure eos reprehendas, qui λόγον extra carnem in innumeris reliquis locis existere, vel vt tu loqueris subsistere contendunt. Atqui orthodoxè puto Iustinus in expositione fidei, credo λόγον vbique adesse secundum essentiam, & eximio modo existere in templo

templo

9
templo proprio. Orthodoxè puto Athanasius de incarnatione verbi, λόγος non est colligatus corpori, sed ipse corpus continet, vt & in eo sit, & extra omnia & in sinu Patris, neque cum sit in omnibus sit pars aliorum, sed omnia vitam sustentationemque ab ipso accipiunt.

Esto, mi Hunni, εὐθυρήμων, vt ante monui, & vno verbo dicà te vbiuitatem profligatam in Misniam & Saxoniam reduci. Si enim λόγος absolutè est vbiq̄ & nusquam est, vt tu affirmas, extra carnem, quomodo potest non etiam caro cum λόγος esse absolutè vbiq̄? Ex tua igitur doctrina hoc sequitur, vt vel Deitas finita sit vel corpus infinitum. Si tertium habes, ostende.

In thesi 23. ex personali vnione, quam in corporali inhabitatione & immanentia omnis plenitudinis. Deitatis in carne consistere dicis, per immotam consequentiam infers, quod vbi λόγος in carne non habitat, sed extra illam esse fingitur: ibi nec vnitus cum ea dici possit. Sed mi Hunni, diuina natura in Christo quia immensa & infinita, eadem simul tota & in suo corpore & extra corpus existit. Manet igitur diuinitas vnita carni, vbicunq̄ existit siue in corpore siue extra corpus: & hoc vbicunq̄ est, vnitum manet Deitati, nec propterea tamen est, vbicunq̄ est Deitas. Audi quid dicat Catechesis Heidelbergensis, cum diuinitas comprehendi non queat, & omni loco præsens sit, necessariò consequitur esse eam quidem extra humanam naturam, quam assumsit, sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter vnitam manere. Nam quod tu metuis ne intima illa planeq̄ indistans vnio locorum spacijs distrahatur, id, ne men-

tiar, puerile est. Neque enim caro à verbo separatur
 etsi non est vbique, cum λόγος semper in ea maneat,
 vt aliquoties indicatum: & quidem vt thes. 25. ex Da-
 masceno loqueris ἀδιασάτως. Vt Lux est, in corpore so-
 lari: sic λόγος in carne, (quo simili Iustinus vtitur) ita
 videlicet vt neque lux in Solis neque Deitas in Chri-
 sti corpore includatur, verum & extra & intra illud fit
 & tamen ab eo non diuellatur. Neque enim λόγος di-
 uidi potest loco à natura humana cum vbique sit, ac
 proinde vbicunque est, simul totus & idem in sua car-
 ne fit. Christus, mi Hunni, vbique est totus ac indi-
 uisus: sed non totum Christi: idque sine vlla diuisione.

Theses 26. & 27. mihi omnium obscurissimæ, vna
 cum sequentibus. Supra thesi 6. dixisti à Christo fuisse
 assumptum corpus solidum ac verum, quod constaret
 carne & ossibus: quod corpus etiam in gloria ve-
 rum maneat: Hæc si vera sunt, vt procul dubio sunt,
 qui fit, vt huic vero corpori locum adimas? Etsi enim
 alia ratio est humanitatis vel corporis ipsius, alia loci:
 nunquam tamen credo euinces vi vnionis factum fuisse,
 vt caro supra localitatem in ipsa filij persona subsi-
 steret, vt tu loqueris. Quorum verborum sensum pu-
 to esse hunc, vt intelligas corpori localitatem posse
 adimi quo tempore nobis libuerit. Huic tuæ opinio-
 ni tota Euangelica historia & antiquitas orthodoxa
 acerrimè refragatur, infinitis propemodum in locis
 testificans humanam naturam etiam in gloria & ma-
 iestate visibilem & circumscriptam esse, de loco in lo-
 co mobilem, & vno tempore vno tantum loco existe-
 re. Quid Augustinus? Spacia, inquit, locorum tolle
 corporibus & nusquam erunt & quia nusquam erunt,
 nec erunt, nec erunt. Vnde valde ieiunum & friuolum
 illud

illud quod thes. 29. carnem in loco cum vult existere dicis. Quamdiu enim λόγος volet carnem verè carnem esse, tandiu etiam volet eam loco circumscribi. Iam verò quod semel assumsit nunquam vult deponere: nunquam igitur etiam volet localitatem illi adimere.

In thesi 28. dicis locum ambientem carnem extra hypostasim verbi manere perpetuò. Quis vnquam dixit loco includi ὑπόστασιν verbi: sed carnem assumptam ideo loco non circumscribi, quod in ὑπόστασιν verbi assumpta sit, quis tibi dederit? Augustinus certè non dat, qui disertè dicit non consequens esse vt id, quod in Deo est, sic sit vbique, id est illocale, vt tu loqueris, quemadmodū Deus. Etsi enim cum Deo λόγῳ vnum esse ὑφιστάμενον non est situ ac loco Physico circumscribi, idem tamen non est etiam non circumscribi. Est enim idem filius Dei & ἀπερίγραπτος & περίγραπτος. Quā putidum igitur commentum est quod addis thes. 29. vi vnionis, vel respectu eius, carnem locum, in quo aliàs commoratur, ineffabiliter transcendere. Rectè dicis ineffabiliter. De huiusmodi enim transcensione nefando quidem quicquam ad nos peruenit.

Illustrare conaris πανταχοῦσίαν tuam terminis scholasticis thes. 30. & dicto Athanasij thes. 35. quod tu ita explicas, vt dicas carnem personalis vnionis respectu omnem localitatem transcendere & in λόγῳ illocalem existendi modum verè sortiri. Hic necesse est, vel εἰρω-να te esse, id est, ἄλλο φρονεῖν ἢ ἄλλο λέγειν. vel summe nequam. Supra thesi 6. dixisti verum corpus etiam manere in gloria: hic asseris illocale esse vel esse posse, quorum neutrum in verum corpus, quandiu corpus est, cadit. Hoc fuerit secundum Poetam Pacem orare manu, prætere puppibus arma.

In Symbolo Chalcedonensi, cuius tu dicis causa mentionem facis, confitetur Ecclesia Christum coessentialem Patri secundum diuinitatem, & coessentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem dempto peccato. Si tu adfuisses tum, proculdubio adderes & remota localitate. Miror qua fronte legas hoc Augustini: A quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus Deus & homo est. Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod *uno loco* erat, manebat per id, quod *vbique* erat. Item hoc Vigilij:

In Iohan.
Tract. 78.

lib. 4. contra
Eutych.

Secundum vos (attende Hunni) aut verbum cum carne sua loco continetur aut caro cum verbo vbique est: *quando una natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum autem est, & longè dissimile circumscribi loco & vbique esse. Et quia verbum vbique, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundemque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ.*

De Chemnicio & formula Schmidlini non laboro. Lutherus tam noster est, quam qui maximè: In Sermone Natalis Dom. super Hebr. i. ita scribit, Debemus hinc discere agnitionem Christi, quæ sit in ipso ratio vtriusque naturæ diuinæ & humanæ, de qua multi (in his etiam Hunnius) errant & quidem fabulas extruunt ex ipsius verbis: tribuentes naturæ diuinæ, quæ tantum debentur naturæ humanæ excæcantes seipsos in scriptura. In verbis enim Christi præcipua est consideratio, quæ diuinæ, quæ humanæ naturæ conueniant: sic omnia sunt expedita & clara. Idem in Sermone de ascensione. Habet autem Christus post ascensionem suam

verum

verum corpus, quod carne & ossibus constat vt ipse dicit Luc. 24. & est palpabile, & tamen eiusmodi corpus, quod per naturam tam potest sursum in altum moneri quam deorsum.

Ex dictis inquis thes. 39. apparet etiam, vnionem λόγος cum carne ipsarummet naturarum ad se inuicem κοινωνίας vera solidaq; esse describendam. Acumen & sublimitatem horum verborum suspicio magis, quam intelligo. Neq; enim diuinare possum, quid sit tibi naturarum κοινωνία. Si, vt veteribus nonnullis, idē est quod ἐνώσις ὑποστατική, fuerit iam describenda ἐνώσις per ἐνώσιν: quo quid ineptius? At περὶ ἐνώσεως te loqui sequens thelis indicat, in qua Cyrilli & Damasceni verbis uteris, quibus humanitati τῆς λόγος personam communicatam & collatam esse idem est, quod vnitam esse. Inde autem non sequitur: quod tu ponis paulo post vt persona Deitatis sit vtriq; naturæ communis, hoc est te interprete, vt Deitas naturæ humanæ suam naturam id est Deitatem communicet, hoc est vt λόγος sit natura Deus, humanitas autem Deus vi vnionis. Atque hanc mentem tuam esse sequentia euidentissimè probant, vbi dicitur carnem ὑποστάσεως τοῦ λόγος participem euasisse non nudo titulo sed reuera & solida. Sed heus tui Hunni, Quemadmodū λόγος, non minus atq; pueri, particeps factus est carnis & sanguinis ita, vt Deitas nō sit humanitas: sic etiam caro particeps facta τῆς λόγος, vt humanitas non sit Deitas. Ac errorem tuū similia quæ in fine addis pulcerrimè refutant. Etsi enim anima corpori vnita est, vel vt tu loqui soles, communicata aut collata, non tamen vi vnionis illius anima fit corpus, vel corpus anima: eadem est ratio ignis & ferri candentis, vt ex admonitione Neustadiana discere potuisti.

Thef. 45.

Apolinarius ipse apud Theodor. dialogo secūdo com-
 modius quam tu sentiens negat ex similitudine ignis
 & ferri candentis τὸ θεοῦ πρὸς τὸ σῶμα ἕνωσιν μεταβολῶν
 εἶναι σώματος id est Dei cum corpore vnionem mutatio-
 nem esse corporis & addit εἰ ἄνθρωπος καὶ ψυχῶν ἔχει καὶ σῶ-
 μα, καὶ μένει πάντα ἐν ἐνότητι ἅμα, πολλῶν μᾶλλον ὁ χριστὸς θεότητα
 ἔχων μετὰ σώματος, ἔχει ἐκάτερα διαμένοντα καὶ μὴ συγχεόμενα
 id est. Si homo habet animam & corpus eaq; manent in
 vnione: multo magis Christus habens Deitatem cum
 corpore vtraq; habet permanentia & non confusa. Sed
 finem facio, & maiorem in modum peto vt clarius de-
 inceps animi tui sensa exponas & disertè profitearis à
 te vbiquitatis monstrum horribile, vel vt quondā Sel-
 neccero, recentis & acerbæ memoriæ, visum est, Sata-
 nicum commentum & Diabolicum portentum, de-
 fendi, id quod ex Maiestatis tuæ κοινωνία, adeoq; idio-
 matū communicatione liquidius propediem, vt pro-
 mittis, patefcet. Vale & per ocium de his quæ monui-
 mus cogita, meque & alios dubitationibus exolue.

Vnum addam, cuius pene oblitus eram. Ante quam
 doctrinam de communicatione Idiomatum explices,
 obnixè rogo, vt Lutheri memor sis dicentis, Tollens
 proprietates, tollit naturas: cui affine hoc, confundens
 proprietates, confundit naturas. Confundere autem
 nihil est aliud, nisi vnus naturæ proprietates realiter
 alteri communes facere. Naturas enim realiter differ-
 re, est, habere proprietates realiter distinctas. Non er-
 go differunt realiter, sed confunduntur, & ad naturam
 eandem rediguntur, si proprietates habent realiter
 communes. Iterum Vale & maximè animo, qui
 cum æger est, semper errat. Dab. Calend.

Septemb. Anno 1592.







AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





18. 73



Epistola

PHILIPPI

BEROALDI HASSI

AD D. HVNNIVM

de Theſibus ipſius.



ANNO

CLV. IO. XCII.



18

